

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Maii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. PHILIPPO-ALEXANDRO BACHER, Doctore Medico Præside.

An à primariâ vulnerum conditione, ipsorum-met lethalitas apud judices repetenda?

I.



NTER varias Medicinæ legalis partes, illud speciale habet quam hodie tractandam suscepimus quæstio, quòd nulla frequentiorem in usum veniat, paucæque gravius habeant objectum. *Illa enim materies est valdè practicabilis* ut ait Paulus Zachias, ibique agitur de reo absolvendo vel capitali pœnâ plectendo. Quantùm igitur omnis medici referat illam variis suis sub respectibus cognoscere, dictu supervacaneum foret.

Vulnus in Pathologiâ definitur : soluta cohæsio recens in partibus mollibus ab instrumento acuto facta. Apud medico-legistas verò latior est vulneris idea.

Quid sit vulnus in Medicinâ legali.

Sub vulneris nomine, omnem læsionem externam violenter perpetratam intelligunt, sivè illa sit contusio, punctio, sectio, plaga, fractura, distorsio, luxatio, percussio. Illìc vulnera distinguntur in simplicia, composita & complicata; hìc verò in absolutè lethalia, per se lethalia, periculosa, & lethalia per accidens. Absolutè lethale dicitur illud vulnus quod omnem medelam aufugiens semper & brevi tempore vitam aufert; per se lethale nuncupatur illud quod hominem immediatè è vivis tollit, seu inter quod & mortem nulla alia causa intereft; periculosum, aliàs ut plurimum lethale, illud est vulnus quòd sæpiùs ad mortem quàm ad salutem vergit; per accidens denique lethale illud est, quod ex suâ naturâ sanabile mortem non infert, nisi ab omissis vel commissis casu fortuitò. Quas divisiones juxtà Bohnium ad duas reducimus, nempè ad vulnera per se lethalia & lethalia per accidens. Igitur sub nomine vulnerum lethalium hìc accipiemus vulnera tùm absolutè, tùm per se, tùm ut plurimùm lethalia. In disquisitione enim legali non quæritur theoreticè utrùm vulnus lethale sit, & qualis concipiatur illius lethalitatis gradus, sed utrùm tale vulnus, mesenterii *v. g.* juxtà regulas artis communes simpliciter consideratum, lethalitatem afferre debeat si vulneratus vivit, vel reverà intulerit, si jam mortuus est. Nihilominùs tamen gradum lethalitatis designare licet, quantùm fieri poterit, non tam ad judicii necessitatem quàm ad artis perfectionem & incrementum.

Vulneris divisiones.

In omni vulnere duplicem phænomenorum ordinem distinguunt Pathologi, alium vulneri proximum, qualia sunt hæmorrhagia, dolor, coagulum, tumor; alium remotiorem, qualia calor, rubor, pulsatio, suppuratio, desiccatio & cicatrisatio. Pariter duplex phænomenorum classis in vulnere distinguenda relativè ad vulnerum lethalitatem; alia vulneri intrinseca & essentialis, alia vulneri extrinseca & accidentalis: prioris sunt, quæcumque fluunt à naturâ & situ partis vulneratæ, *à quantitate & qualitate* vulneris, ab ætate, sexu & statu hominis vulnerati, eaque omnia primariam vulnerum statuunt conditionem. Secundum ordinem constituunt dispositio vulneris quælibet oriunda à morbis præcedaneis, temperamento, incuriâ, errore medentis, neglectu ægri, loco, tempore & ab aliis planè morbo contingentibus: quæ omnia vulneris conditionem secundariam vocamus. Porrò sivè ex historiâ & cadavere ægri à vulnere perempti, sivè ex aspectabili ægri vulnerati statu pronuntiandum habeat Medicus, non sufficit vulneris phænomenorum etiam attenta ponderatio. Requiritur insuper, ut post institutam binam hanc-ce classem, prudenter subodoretur, an ex utrâque, an alterâ tantùm, & quodnam argumentorum genus debeat haurire. Sequentibus verò statuere speramus *quamlibet ex illis classem præcipuè interrogare debeat Medicus, quomodò illam interrogare debeat, & quodnam commodum afferre possit alterius classis consideratio.*

Duplex phænomenorum conditio in omni vulnere distinguenda.

I I.

Quamlibet classem præcipuè considerare debet Medicus.

IN quæstionibus de lethalitate vulnerum, illud unum à medicis expostulant judices, ut veros & genuinos vulnerum effectus explicent. Ex illis enim effectibus pronâ consequentiâ patet, utrùm mors à vulnere tanquam à causâ secutura sit, si vivat adhuc vulneratus; an verò mors jam conclamata ab ipso vulnere profluxerit, si jam mortuus sit. Lethale enim vulnus illud est quod cito vel tardiori sed semper ineluctabili effectu vitam tollit. Verùm illa inter effectus & causas continua series & reciprocatio legitimè non deducitur, nisi ex phænomenis in primario vulneris statu existentibus. Natura & situs partis vulneratæ, *quantitas & qualitas vulneris*, ætas, sexus & status vulnerati, en sincerus phænomenorum fons tunc temporis observanti obvius; adeòque ex iis primaria

Quid comprehendat primaria vulneris conditio.

vulneris conditio petenda eſt. Porrò ab illis tantùm fluunt veri effectus à vulnere pendentes.

Natura partis vulneratæ comprehendit illius texturam & uſum; ex texturâ jam prævidetur ſors partis vulneratæ. Sic innocua ſunt pleraque cutis & muſculorum vulnera; periculoſa verò nonnunquam evadunt quæ tendinibus, nervis, membranis infliguntur. Hujuſce differentiæ rationem facilè deſumas ex naturâ partium: quæ in primo caſu ſibimet tantùm patientes intrà ſe malum ſiſtunt & facilè reparantur; quæ autem in altero caſu non ſolùm ſunt irritabiles, vel ità retractiles ut coerceri nequeant, ſed ſympathiâ quâdam in conſortium doloris & infortunii partes omnes corporis advocant. Nihil mirum igitur ſi nervorum & aponevroſium læſiones mali ominis ſæpè fiant. *Quid ſit natura partis vulneratæ.* *Textura partis.*

Quæ à texturâ indicatur lethalitas brevi confirmatur, ad uſum partis vulneratæ attendendo. In illo caſu certum auxilium præſtat Phyſiologia. Quicumque enim ex illâ quadruplicem novit functionum diviſionem, vitalem ſcilicet, animalem, naturalem, ſexualem & quæque ab iis pendent, potiſſimum ad lethalitatem vulnerum dijudicandam medium obtinet. Quæ immediatè functiones vitales ſufflaminant vulnera, abſolutè lethalia ſunt; quæ mediatè, per ſe ſimpliciter lethalia dicuntur; utraque verò ad noſtrum ſenſum æqualiter mortem inferunt. Talia ſunt omnia vulnera quæ circulationi, reſpirationi, cerebri actioni, vel obſtant vel brevì ſunt obſtitura. Ea eſt nempè vitalium functionum natura & neceſſitas, ut ſi pro momento, per certum tamen temporis ſpatium abſque morte ſuſpendi non poſſint. Inter functiones naturales una adeſt maximè compoſita & gravis, ſcilicet chilopoieſis; maxima pars enim inſtrumentorum ipſius mechaniſmo inſervientium, ità eſt corpori neceſſaria, ut ſi unum ex illis modo lædatur immedicabili, certa mors immineat. Indè lethalitas tam frequens à pleriſque abdominis vulneribus. Animales verò functiones ſine vitæ diſcrimine interrumpi poſſunt, ſed ſi omnes vulnere peſſumdentur, nulla ſupereſt ſperanda ſanitas. Hinc *anaiſthæſia* ex vulnere lethalis. Inter ſexûs functiones, nulla tam neceſſaria ut abſentiâ ſuâ mortem ſuſcitare valeat, ſed non minùs lethiferæ quædam genitalium partium læſiones. *Uſus.*

Iis ritè perpenſis, ſi ſuperſit adhuc dubium, illud ſolvent ulteriores conſiderationes, ſcilicet vulneris ſitus, ipſius *quantitas & qualitas*, ſexus, ætas vel ſtatus vulnerati.

Primò ſitus examinandus. Quæ enim nec texturâ, nec uſu lethalia apparent vulnera, talia judicari neceſſe eſt, ſi tam occulta ſit pars vulnerata ut ipſius læſio tardiſſimè cognoſcatur, vel ſi cognoſcatur, non ideò medicaminis afferendi adſit poſſibilitas. Sic quorumdam abdominis vaſorum diſciſſionem ſequitur lethalitas ex impoſſibili medelâ; ſic quædam pulmonis & cerebri læſiones certè nonniſi poſt mortem apparent & quaſi ſyderati ægri cadunt diù poſt acceptum vulnus. *Situs.*

Secundò *quantitas & qualitas* vulneris, pluries ſolæ ſunt lethalitatis cauſæ. Partium enim vitalibus functionibus etiam dicatarum vulnera quædam, non ſunt lethalia propter exilitatem, dum magna cutis & muſculorum vulnera mortem quandòque inferunt, ob convulſionem à dolore & mutatione ſubitâ oriundam. *Qualitas* vulneris ſuo modo fit lethifera, ſi quidem ſæpè exiliſſimo vulneri mors cita ſupervenit, ut in vulneribus quibuſdam abdominis, tendinum & nervorum, vel in vulneribus per ſclopeta & inſtrumenta venenata productis. *Quantitas & qualitas vulneris.*

Tertiò ſexus, ætas & ſtatus æſtimanda veniunt. Quis enim neſcit vulnera quælibet eâ ſolâ ratione eſſe lethalia, quòd tali ſubjecto, vel ſubjecto in tali ſtatu illata fuerunt. Sic in infantibus vulnera abdominis propter vaſa umbilicalia, vulnera calvariæ propter oſſium naturam lethalia ſunt, quæ vix conſpicua fuiſ- *Sexus, ætas & ſtatus vulnerati.*

ſent in adultis ; ſic in ſenibus *quantitas* vulneris adeſt etiam ex parvo vulnere, conſolidatio difficilis, gangræna timenda ; ſic in gravidis vulnuſculum, contuſio, compreſſio ſola, triſtes ſæpè exerunt effectus.

Symptomatibus hæc omnia dignoſcuntur.

Iis omnibus evolvendis facilè concipitur quàm conducat & requiratur ſingulorum ſymptomatum primo vulneris tempore exiſtentium cognitio. Verùm non ſatis illa ſymptomata obſervaſſe vel ex vulnerati hiſtoriâ collegiſſe, illorum adhuc adæquata & conſonans inſtituenda eſt ætiologia. Nullum enim de iis dubium remanere debet. Vel illorum connexio, vel illorum diſparitas cum vulnere demonſtranda eſt ; vel denique ſi ſymptomata mixta ſint, quid vulnus, quid contingentia vulneri extrinſeca intulerint, determinandum. Illud verò ſolâ ſymptomatum comparatione pathologicâ obtineri poteſt ; ſic ex cognitâ ſemeiotice ſtupor, ſtertor, delirium, vomitus, extranea capitis læſioni non videbuntur ſymptomata. Sic apoplexia, vulneri abdominis, vel pleuritis veſicæ læſioni ſupervenientes vulneribus inflictis non adſcribentur. Adſunt certè caſus plurimi longè difficiliores, ſed jam probatum confidimus, à primariâ vulnerum conditione, genuinos vulnerum effectus, proindèque ipſorum-met lethalitatem medico ſagaci indicari.

III.

Quomodo primaria vulneris conditio interroganda ſit in variis corporis humani partibus.

QUAM ratiocinio obtinuimus veritatem, eadem Principum artis autoritate ſuffulta nititur. Perluſtremus enimverò tabulas ab illis de lethalitate vulnerum conſcriptas, ipſaſquè ad normam regularum præpoſitarum conflatas deprehendemus. Hîc autem quid præſtantius facere licet quàm ſi illorum doctrinæ compendium exponamus.

Vulnera capitis.

Integumentorum.

Et primùm, ut cuidam methodo inſiſtamus, inter externa capitis integumenta ſolius pericranii vulnera gravibus quandòque ſymptomatibus ſunt obnoxia. Nequaquam tamen periculoſa dici poſſe docet partis natura, ſitus, faciliſque medela. Ex eodem criterio muſculi temporalis vulnus nunquàm per ſe lethale judicatur, licet contrarium dixerit Hippocrates & quidquid illius ſententiæ favere videamur hæmorrhagiæ & convulſiones ab illo vulnere ſæpè oriundæ (1).

Cranii.

Calvariæ fractura per ſe non eſt lethalis, ſed propter adjuncta, ſcilicet cerebri commotionem, compreſſionem, lacerationem, vaſorumque rupturas. Quæ tamen nec omnis fracturæ ſunt ſequelæ, nec etiam cùm adſunt, vulnus lethale ſemper conſtituunt. Lethalitas nihilominùs cum pluries ſuccedat illis caſibus, illi caſus lethiferi præciſè determinandi ſunt.

Accidunt verò illi quoties læſio ità eſt enormis vel ita latitans ut ipſi ſuccurrere ſupervacaneum ſit vel impoſſibile. Læſionis magnitudo pendet *à quantitate vel à qualitate* vulneris ; *quantitas* vulneris nihil aliud eſt quàm ejus extenſio & profunditas ; *qualitas* verò vulneris, eſt quædam conditio a vi inflictûs, modo infligendi & naturâ inſtrumenti vulnerantis oriunda.

Meningum.

Non ex ſolo vulnere ſed tantùm ex *quantitate* vulneris lethalia judicantur cerebri vulnera ; corticis enim ſicut & medullæ vulnera quinimò ad ventriculos etiam penetrantia pluries ſanationem experta ſunt (2). Undè meritò authores

---

(1) Numeroſa exempla horum vulnerum feliciter ſanatorum refert Bohnius, tùm ex ſe tùm ex multis authoribus. *De vulner. relat. pag.* 40.

(2) Cani majori cerebrum teſſelatim diſſecabatur ferè per integram horam & non moriebatur. *Perrault, Méchanique des Animaux.*

Ex Bohnio, cellarius cui ex vulnere ventriculus cerebri poſterior deſtructus fuerat, nihilominùs reſtitutus fuit. *Bohn. ibid. pag.* 184.

Minùs tamen rarioribus illis nititur noſtrum judicium de cerebri vulneribus, quam generali conſenſu. *Vid. Bohn. ibid. pag.* 44.

commendandi attendunt maximè ad figuram inſtrumenti vulnerantis in capitis læſionibus & eas eò periculoſiores habent, quòd ab inſtrumento obtuſiore, vel à caſu ab alto factæ fuerint. *Quantitas* vulneris ſit etiam lethalitatis judicium in duræ piæque matris, nec-non quandòque in ſinuum vulneribus. Qui enim aliter ſentiunt & falſâ Phyſiologiâ diriguntur (3) & artis ſucceſſibus repetitis refelluntur. *Quantitas* verò vulneris non ſolum oculo patet ſed propriis commotioni ſignis brevi evidens apparet. Cerebri.

Ex *qualitate* vulnera cerebri funeſta fiunt pluribus modis. Non ſolum enim lethalibus vulneribus adſcribas quæ contuſione vel dilaceratione notabilia ſunt, aut quæ ſclopetorum vel inſtrumentorum venenatorum ope producuntur; ſed etiam graviſſima cenſeas ea, quæ vel modo inflictûs, vel figurâ & acie inſtrumenti vulnerantis immedicabile malum generare poſſunt. Hujuſmodi ſunt vulnera ab inſtrumento acuto punctim illata, præſertìm in quibuſdam calvariæ partibus, quales & inferiora orbitæ oculi (4), & oſſis ethmoïdis (5); quæ vulnera ſpecie primò parva, brevi tamen funeſtis ſymptomatibus peſſimam nuntiant indolem.

Si verò vulnus adeò ſit profundum ut cerebellum attingat, mors eſt in promptu. Cerebelli. Cerebelli enim vulneribus ſerò ſemper Medicina paratur (6).

Quibus lethalitas advenit propter medelam neceſſariò tardiorem vel impoſſibilem, ea ſunt vulnera quorum læſiones dignoſci non poſſunt. Illud ſæpè accidit in fiſſuris & contrafiſſuris. Diagnoſtici fiſſurarum difficultatem aliàs jam notavimus (7). Alia reperiuntur paſſim apud authores (8). Quid dicam de hiatu ſuturarum cujus meminit Bohnius, & qui licet hodiè cognoſcatur nunquam fortè conjiciendus erit præſertim in baſe cranii. Contrafiſſurarum exiſtentiam nemo nunc ambigit. Vulnera capitis rectilinea obliquis ſunt periculoſiora, ait Hippocrates, & quod ex genio præſenſerat divus ſenex ab hodiernâ Anatomiâ explicatur. Contrafiſſuræ tamen non ideò faciliùs cognoſcuntur. Quid igitur de his ſtatuendum in quæſtione preſenti? Nùm in obſcuritate diagnoſtici reperiri poſſunt neglectæ medelæ *v. g.* terebrationis excuſationes? Nùm illi caſus excuſabiles præciſè deſignari poſſunt? Judicium ſanè difficile. Attentè tamen notet Medicus quòd in ictu vel vulnere graviori raro audiendæ ſint illæ excuſationes. Licet enim in illo caſu lateat ſedes fiſſuræ vel contrafiſſuræ, adſunt ſymptomata quæ noxam cerebro illatam indicant. Ex illis verò ſymptomatibus medico non ignotis terebrationis exurgit indicatio; nec illam vetant ſitus ſuturæ, vel temporum, nec etiam tempus à vulnere elapſum, dummodò ſufficientes vires adfuerint. Fiſſurarum & contrafiſſurarum gravitas & judicium.

Medullæ ſpinalis in dorſo & in collo læſiones non abſimili modo mortem inferunt, tùm ex compreſſione, tùm ex vaſorum ſanguineorum rupturâ. Vulnus, Medullæ ſpinalis vulnera.

---

(3) Bohnius, Teichmeier & alii motum muſculoſum & vitalem in meningibus admittunt ex Bellini. *Vid. Teicmeier. Inſtit. Med. legal. cap. 23. pag. 206.*

(4) Juris ſtudioſus infrà orbitam ſiniſtri oculi enſe punctim vulneratus fuit & poſt 24 horas apoplecticus factus mortuus eſt. *van-Swieten. in aph. 170.*

(5) Vulnerabatur homo baculi extremo non admodum acuto in oculi ſiniſtri orbitâ; illis qui curationi præerant videbatur exigui momenti vulnus, brevi tamen periit vulneratus. *Idem. ibid. pag. 252. tom. 1.*

(6) Jam laudatus *Perrault* mortem conciliavit cani citato ſtatim ut ad cerebellum pertigit.

(7) Abſceſſûs enim & cariei ſub parietalis parte anteriore abſolutè latentis exemplum retulimus. *Vid. noſtram Theſim Phyſiologicam, pag. 11.*

(8) Sutor poſt ictum in parietalem levia tantummodò patitur & brevi conſolidantur integumenta. Quinquaginta autem abhinc diebus quoſdam dolores capitis, paſſus ſubitò periit. In cadaveris examine nihil exterius apparebat, in interiore verò capitis parte, fiſſura detecta eſt in ſecundâ cranii tabulâ ſub ictu. *Vid. L'art de faire des rapports en Chirurgie, pag. 82.*

punctio, fractura idem producunt. Quoad luxationem plùs nocet luxatio unius vertebræ quàm plurium (9). Denique commotionem funeſtam recipere poteſt ſpinæ non ſecùs ac cerebri medulla (10). Medullæ lumbaris vulnera minùs periculoſa dices, tùm ex naturâ & uſu, tùm ex repetitis obſervationibus.

Nervorum. Nervorum vulnera in magnis truncis certò lethalia tene, tùm propter naturam & originem, tùm propter ceſſationem functionum quibus præſident; nec minùs periculoſa quandòque videntur non ſolùm in plexibus ſed etiam in ramis, ſive à convulſione oriundâ, ſive à medelâ impoſſibili (11).

Tres partes numerantur in collo quorum funeſtos vulnera ſortiuntur effectus.
Colli. 1°. vaſa : carotidum enim vulnera ex impoſſibili, jugularium verò ex tardiori medelâ mortem inducunt. 2°. Trachea : ut textus & ſitus hujuſ-ce organi partium differunt, ità & vulnera. In parte ſuperiori quantitas ſola vulneris lethalitatem generare poteſt ex ſuppreſſâ reſpiratione; in mediâ maximè compoſitâ & intricatâ, ubi larynx, & interiùs ubi tenuiſſima adeſt diviſio, reperiunturque glandulæ, vaſaque ſanguifera numeroſa, multò ſæpiùs lethalitas accidere debet. 3°. Gula ſeu æſophagus : exemplis quibuſdam, vulneribus dubiis annumerari viderentur hujuſ-ce partis vulnera (12), ſed textura & ſitus ſunt noſtro judicio argumenta adhuc fortiora quæ pro lethalitate concludunt. *Rara enim non ſunt artis*; & aliunde ex noſtrâ definitione, vulnera lethalia, non ſunt ſemper ea quæ ſunt inſanabilia.

Pleraque thoracis vulnera penetrantia, lethalibus eſſe adſcribenda nemo paululùm Anatomiæ gnarus diſputabit. Miranda ſanè narrantur exempla de vulneribus cordis quibus perfoſſi aliquot horis & aliquot diebus ſuperſtites remanſerunt. Omnes etiam meminerunt cicatricis illius in corde hominis cujus cada-
Cordis & vaſorum inſigniorum. ver diſſectum fuerat repertæ. Nihilominùs tamen vulnera cordis abſolutè lethalia pronuntianda ſunt, ſicut & illa quæ vaſis ipſi-met adhærentibus infliguntur. Pericardii verò vulnus ſi non ex ſe lethale, ſaltem ex vicinorum læſione plerumque neceſſariò.

Cùm non tota requiratur pulmonum compago ut peragi queat reſpiratio,
Pulmonis. ideò non omnia pulmonum vulnera lethalia ſunt; talia tamen declarari debent quæ aut plures aut majores earum arteriarum vel venarum ramos, vel bronchiorum partem notabilem penetrant lacerant-ve; non tam per ſanguinis effuſionem, quàm per effuſionis quantitatem ſubitò præſocantem, vel vulneris magnitudinem. Quæ pluries in actibus facultatis Lipſenſis comprobata, nullo modo obſervationibus ſpecialibus Hildani vel Schenckii deſtruuntur (13). Nec pluris facienda eſt illorum contradictio, qui in exemplum objiciunt homines cum parte

---

(9) Unum tantùm verticulum ſi exierit, ſpinalis medulla magis comprimitur ſi non etiam abrumpitur. Hipp. T. de articul.

(10) Commotionis ſeu elongationis medullæ ſpinalis duo exempla refert Bohnius; aliquid ſimile accidere poteſt inter ludendum, dùm apprehenſo capite ſub mento corpus à terrâ dimovetur; quòd vulgò vocant, *faire voir le grand pere.*

(11) Talia phænomena ſi ſæpius produxerint paronychiæ dolores & ſequelæ, quantò magis accidere debent ex nervis dimidiato diſciſſis. *Vid. van-Swiet.* in ff. 163. 181. 183.

(12) Ex Schenckio, quidam carceribus detentus ſibi gulam quâ parte tracheam ſpectat ſauciavit, ita ut hiatus digitum æquaret & per ipſum medicamenta cum alimentis tranſmitterentur, paucis tamen diebus reſtitutus fuit. Pigræus ſe ſanaſſe ait juvenem cui à latronibus abſciſſus fuerat æſophagus, non in integrum quidem, ſed ità tamen ut dum elato capite lac biberet ſtatim per vulnus effflueret. *Vid. Bohn. pag. 241.*

(13) In illis enim ſpeciebus apud Bohnium legendis nulla timenda erat hæmorrhagia licèt ſatis magna pars pulmonis abſcinderetur.

pulmonis exiguissimâ satis diù viventes. Ad illum enim statum suppurationis ope gradatim transeunt phtisici, at non itidem vulnerati, qui subitò insigni pulmonis parte orbantur.

Lower pluries canalem chiloso-lymphaticum laceravit in canibus, foràs sanguis exibat, chilus intùs effundebatur, mors erat in propinquo. Ex illo experimento pondus accipiunt ominosæ quæ ex naturâ & situ horum vulnerum exurgunt conjecturæ. Ductûs chiliferi.

Diaphragmatis vulnera per se lethalia dicenda, non præcisè quòd pars tendinea in convulsiones rapiatur, sed quòd ex hiatu partes abdominis in thoracem sæpè obtrudantur, vel quòd lethifera exurgat inflammatio (14). Diaphragmatis.

Innuente Hippocrate, ventriculi, intestinorum, hepatis, vesicæ & vasorum majorum vulnera lethalia spectantur ab omnibus (15).

At vel minimè attentus vulnera ventriculi læsionibus per se lethalibus adscribet. Circà orificia nemo ambigit ex illorum naturâ nervosâ. Idem dicas de fundo quidquid contradicere videantur historiæ aliquot in scholis celebres. Nihil enim arguunt istæ præter conformationem particularem, qualis est adhærentia cum peritonæò, obturatio à portione omenti, vel phænomenum rarissimum (16). Ventriculi.

Vulnera intestinorum indiscriminatim præcedentibus malè assimilares. Quandòque enim ex suâ naturâ vergunt ad mortem, quandòque ad salutem arte mediante. Hinc in illis magni momenti est attendere ad *quantitatem*, *qualitatem* & situm vulneris. Quod enim est parvum vulnus lethale audit, si parti intestinorum nec oculis nec manibus perviæ inferatur; magnum autem vulnus, si pars læsa proxima sit integumentis, aliquoties non lethale dicitur, nisi tota intestini diameter dividatur. In illo enim casu lethalitas semper pronuntianda: nec tali judicio obest Rhambdorei ingeniosa methodus, ut potè quæ sit praxis difficillimæ. Idem ferè dicendum de crassorum ac de tenuium intestinorum vulneribus. Quod enim per anum artificialem curari potest vulnus, non minùs periculosum nobis videtur, quàm illud cui spes sola salutis adest methodus Rhambdoreiana, id est invaginatio. Intestinorum

Ex cognitâ pancreatis & omenti naturâ, evidens est quantitatem vulneris solam lethalitatem constituere in utrâque parte. Pancreatis & omenti.

Cave ne idem statuas in mesenterio. Si enim ex suâ naturâ lethalia non videntur ejus vulnera, aliud credere jubet celeberrimi Ruischii authoritas. Ex legali enim inspectione millies Amstelodami repetitâ, omnia mesenterii vulnera lethalia evadere antè triduum vidit (17). Mesenterii.

Hepatis vulnera an absolutè an simpliciter lethifera sint disputant medici. Nos verò positis principiis adhærentes, distinguimus inter vulnera quæ aut superficiem, aut viscus ipsum, aut vasa cædunt. Prima vulnera dubia habemus, alia certò lethifera. Hepatis.

Gravior adhuc est disputatio de vesicæ fellis vulneribus & de istis ambigi- Vesicæ fellis.

---

(14) Vid. *Paré, liv. 9, chap. 30....* Sennert. prax. lib. 2. part. 2. cap. 15. adesse tamen possunt vulnera partis carnosæ propè costas innocua dummodò levissima sint.

(15) Prædictor. lib. 2.

(16) Inter illa phænomena forsan nihil curiosius quam observatio sequens. Ex fructibus ablatis furens senex, juvenis servi ventriculum abscidit furti detegendi causâ; mox criminis atrocià perterritus, desperatam manum in se convertit, sibique proprium etiam laceravit ventriculum; suturâ citò factâ convaluerunt ambo cum aliquo tamen temporis discrimine. *Van-Swiet. ibid.*

(17) Van-Swiet. in aph. 170.

tur. Quidam volunt absolutè lethalia esse, quidam verò fieri tantùm ex quantitate vulneris. Prioribus adhærere suadet natura & situs vulneratæ partis, dummodò tamen ex solutione bilis effusio sequatur.

Lienis.

Lienis fabrica ità mollis est & vasculosa, ut hæmorrhagiæ quin etiam crepaturæ lethali ex levi vulnere exponatur. Levissima igitur tantùm vulnera excipias, fabulisque annumeres quidquid enarratur de facili illius visceris eradicatione.

Renum.

Idem judicium feret de renibus Medicus sapiens. Visa sunt equidem vulnera renum profunda mortem aufugisse, sed illud perrarum (18). Pro regulâ verò inserviat *quantitas* vulneris. Hinc ex cortice renum læso vel vulnerato levissimè, mortem præsagire forsan temerarium foret; nullam verò exceptionem ureteres admittunt, nec impunè vulnerantur.

Vesicæ.

Ex se consolidationem non respuit quidem natura vesicæ musculosa; collum enim & partem superiorem impunè sæpè lædit lithotomia tùm lateralis, tùm alti apparatûs. Sed quantùm intercedit discriminis inter continui solutionem à peritâ manu solerter factam in corpore ritè præparato & vulnus cæco impetu inflictum! Dantur equidem vulnerum fundi sanatorum exempla, sed quæ cum rarissima sint fidem non trahunt (19). Ex iis omnibus colligendum rarissimò vulnera vesicæ è lethalibus eximi posse.

Partium genitalium.

In sexu masculino variam sortem subeunt, si vulnerentur partes generationi dicatæ pro ipsarum varietate. Vasorum spermaticorum inferiorum divisionem cita mors excipit & illud docet partis natura & situs. Testibus vix gravitèr læsis sola se offert castratio. Cæterarum verò partium vulnera gravia meritò nuncupantur, sed non lethifera.

Artuum.

Circà artus denique illa tantùm vulnera tanquàm lethalia spectamus quæ nec amputatione, nec deligatione sanari possunt. Talia sunt Bohnii judicio vulnera, tùm vasa femoris propè articulum, tùm vasa & nervos axillæ dissecantia. Sed forsan neutrum ex illis est absolutè lethale. Compressio enim alter-utrum sanare potest, ut ex nuperrimis constat exemplis, dummodò nimia non sit quantitas vulneris (20). Aliundè feliciter hodiè practicatur amputatio in articulo brachii. Attamen periculosa dicam vulnera vasorum propè articulum & ideò ad sensum medico-legistarum lethalia, propter compressionis nec-non etiam medendi ad tempus difficultatem. Cæterorum vasorum vulnera dubiis adscribere conveniet vulneribus.

Contusiones variæ.

Quoad suggillationes, fustigationes, conculcationes & alias hujus-ce modi contusiones, cùm in cadavere recenti numerosæ apparent & notabiles, læsionem internam designant. Tunc igitur sedulâ dissectione interrogandæ variæ cavitates, causaque mortis oculatum non effugiet examinatorem. Pluriès in his casibus cerebrum, sæpiùs thoracem, originem morbi abscondere compertum est.

---

(18) Juvenis vigenti annorum cultro in lumbis vulneratus fuit ad regionem renis dextri; à sanguine in vesicam delapso, per sex dies urinam omninò suppressam habuit. Feliciter tamen & ab ischuriâ & à renum vulnere evasit Ex Foresto. Vid. *Van-Swiet. ibid.*

(19) Tale est exemplum illius hominis cui plumbus per sclopetum in vesicam intrusus fuerat, & ex eâ non fuit eductus nisi calculosâ tectus crustâ & per lithotomiam.

(20) Juveni arteria cruralis propè articulum ense dissecta fuerat; impossibilis erat amputatio. Supererat sola compressio: illam instituunt viri in arte celebres & quidem feliciter; postridiè chirurgus quidam de facto dubitabat, nec mora, imprudenti curiositate solvitur apparatus, sanguis profilit arteriosus; statim eadem iteratur compressio cum eodem successu. Tutius adhuc practicari potest compressio arteriæ brachialis, pressione factâ super claviculam, modo à D°. Camper designato. *Narrabat clar. M. Vicq-d'Azyr in prælect. suis Chirurg.*

Suum denique periculum ſpeciale habent luxatio, fractura, armiſque igniferis productæ ſolutiones. Sed de illis ſpeciatim diſſerere prohibet locus. Illud dicere ſufficiat, quod non iniquè æſtimanda nobis videatur illorum periculum methodo ſuperius commendatâ. Vulneribus verò venenatis conditio ſpecialis ineſt, ex ſymptomatibus non facili judicio eruenda, ut alio in loco probavimus (21).

Vulnera complicata.

I V.

Quodnam commodum afferre poſſit conditionis vulnerum ſecundariæ conſideratio

QUANQUAM ex primariâ vulnerum conditione erui debeat ipſorum-met lethalitas, non minùs tamen perpendenda ſunt alia vulnerum ſymptomata conditionem vulneris ſubſequentem vel ſecundariam conſtituentia. Si enim priorum conſideratione detegatur veritas, poſteriorum examine confirmatur. Hinc qui iis non attendit Medicus, duplex incurrit periculum. Vel enim confundit ſymptomata ſecundaria cum primariis & ſic mortem ex contingentibus accidentem vulneri, non ſoli cauſæ tribuit; vel cauſam mortis accidentalem ignorat, dubiumque movet ubi adeſt certi reſponſi materies. Igitur à principibus artis illud monitum recipiunt Medici ut quantùm fieri poterit omnes morbi circumſtantias recolligant (1); ſed illud poſtremum non immeritò addendum credimus, nempè neceſſariò diſtinguendum eſſe inter conditiones vulneris eſſentiales & eas quæ ſunt accidentales. Ex iſtius enim diſtinctionis mente ſeparatim expendet vir interrogatus quid fluat à conditione vulneris primariâ, quid à ſecundariâ. Hinc attendendo ad conditionem ſecundariam omnes & ſingulos effectus accidentales, ſcilicet effectus à morbis præcedaneis, incuriâ, errore medentis, neglectu ægri, vel à natura loci oriundos ſeorſim & intrinſecè æſtimabit, mortemque ab illis productam vel naſcituram nunquam in vulnus rejiciet. Quod opus licet facillimum primo aſpectu videatur, præcipitanter tamen non eſt inſtituendum; accidentalium enim in vulnere effectuum ita dignoſci debet natura, ut unuſquiſque quatenùs & quantùm in rem confert in relatione nuncupetur.

Quid comprehendat conditio vulnerum ſecundaria.

Et primò cum morborum vulneri præcedaneorum adeſt ſuſpicio, nihil omittere debet Medicus ut illius morbi naturam, gravitatem & vim efficientem apprimè calleat. Ex ſolâ enim morbi præcedanei exiſtentiâ & veſtigiis in vulnere dimanantibus non excuſatur percuſſor; requiritur inſuper effectuum morbi gravitas, eò uſque devecta ut à leviſſimo vulnere mors jam ad fores neceſſario pulſare debuerit. Talis eſt abſceſſus pulmonis vel alius viſceris jam maturus, & alapâ vel leviſſimo ictu ruptus. Talis eſt aqua jamdudum congeſta in cavitates, vel diatheſis humorum labe virulentâ omninò peſſumdata. Parùm eſt facienda in illo caſu temperamenti mentio: ea eſt enim medico-legiſtarum ſeveritas, ut plurium judicio, nullo modo excuſare poſſit percuſſorem ipſa-met conformatio corporis læſi ita particularis, ut minimo ictu deſtructa ruat; qualis foret *v. g.* tenuitas maxima oſſium cranii (2).

Morbi præcedanei.

Quæ vulnera ex incuriâ lethalia fiunt conſcripſit Boerrhaavius 1°. vulnera encephali terebrâ levanda; 2. vulnera arteriæ, venæ-ve majoris in loco ad quem manus Chirurgi pervenire poteſt; 3°. Viſcerum ad quæ manus & medica-

Incuria.

---

(21) Vid. noſtram Theſim *An poſt mortem Phyſica veneni certitudo difficilè comparanda?*

(1) Non ſufficit ſola vulnerati inſpectio, ſed & cognoſci debent omnia quæ vulnerato acciderunt poſt vulnus inflictum. *VanSwient. T. 1. ibid.*

(2) Vid. Paul. Zachiæ Quæſt. Medico-legales, lib. v. tit. 2 quæſt. 3. Bohñium ibid. de deponendi modo, &c.

menta cum effectu sanationis pervenire possunt; 4°. quæ mortem inferunt emisso suo liquido in cava illa undè id educi sine discrimine vitæ potest. Sed de his quis judicium ferre audeat, nisi ea perfectè edoctus quæ ad vulnerum per se lethalium cognitionem pertinent?

Error medentis. Ex errore Chirurgi frequenter sanè funestam induerunt indolem vulnera. Quantâ igitur prudentiâ opus est Medico in illis circumstantiis pronuncianti. Ecquis enim funestâ experientiâ non didicit, vel nunquam discere confidit quàm proclivis in errorem lapsus minùs cautos inducat? Deficientibus itaque artis salutiferæ ministris concedendum quod pietas jubet, ita ut veritati tamen nihil ex injuriâ detrahatur. A pronuntiando igitur abstineat ille cui veritas non affulget meridianâ luce clarior. Cæterùm verò negligentiæ medentis mors apertè tribuenda, cùm vel terebratio evidenter necessaria, vel arteriæ discissæ deligatio, vel sanguinis effusi evacuatio neglectæ fuerunt. Idem esto judicium cùm acerrima caustica tendinosis & membranosis partibus applicata fuerunt, cùm turunda incidit in cavitatem pectoris vel abdominis; nec absimile etiam fuerit dùm Gastroraphia impudenter practicatur, dùm rudi & inexpertâ manu mulctatus, nimio dolore convulsus expirat æger & in aliis ejusdem generis. Quot mala etiam non produxit specillorum imprudens tractatio, seu plagas in vivis, seu in cadavere sinus varios efformando (3).

Neglectus ægri. Error ægri mille modis ad mortem conducit. Casus verò illi miserandi sæpiùs accidunt quoties diætæ indocilis, naturæ & artis conamen perturbat æger imprudens. Alter irâ vel alio pathemate permotus febre lethali rapitur. Alter Veneri & Baccho indulgens intemperantiæ brevi duras luit pœnas. Quot & quantis observationibus nitatur horum eventuum veritas nullus nescit Medicus (4).

Tempus & locus. Ex loco, ex tempore pluries mors à vulnere nequaquam expectanda ingruit. Sic sæpè aeris incognita diathesis vulnerum consolidationi obstat. Illud observaverat Paræus in obsidione Rothomagensi & in agro Dionysiaco. Hæc observatio à multis authoribus iterata quotidiè renovatur in nosocomiis. De tempestatis influxu quis dubitet, cùm temporibus æstivis laudabiliorem vulneris faciem in pessimam, dicto citiùs, cœli inclementiâ mutare viderit.

V.

Consequentia gravis. EX his patet, quàm inconsultò tempus è quo vivis decessit vulneratus, pro regulâ judicii in quæstionibus de lethalitate vulnerum, vulgò habeatur. Hic enim septem, illic novem, alio in loco quadraginta dies pro termino sumunt, antè quem à vulnere, posteà verò à causâ extraneâ lethum repetunt. Sed quot erroribus scatens præjudicium illud! Supponit enim vulnera omnia eosdem sortiri effectus in omnibus hominibus, quod falsum esse rudioribus facilè apparebit; negligunt enim attendere qui tali præjudicio imbuuntur, post vulnus ex se non lethale quandòque citissimam mortem successisse, quod tamen experientia diuturna commonstrat; talis est casus arteriæ discissæ & non deligatæ, abscessûs commotione vulneris rupti, errorum multiplicium & aliorum in præcedenti paragrapho recensitorum; nec etiam animadvertunt, vulnera funestum suum exitum non rarò producere longo satis intervallo post vulnus inflictum. Illud ta-

---

(3) Innumera potuissem in allegatorum fidem censere ex variis authoribus, sed plura vetant operis limites & angustiæ.

(4) Vid. van-Swieten locis jam citatis & sequentibus.

men obſervatoribus frequenter occurrit, ſive in abſceſſibus & carie cranii, ſive in inteſtinorum læſionibus & in aliis caſibus.

Igitur etſi quandòque tempus mortis eò citiùs accidat quò vulnus eſt magis lethale, huic tamen ſigno confidere periculoſum (1). Tuta verò nec ſatis commendanda effectuum vulneris conſideratio. Ex illâ brevi exurgit graviſſima in noſtrâ quæſtione diſtinctio in effectus eſſentiales & accidentales. Poſteriores à prioribus ritè ſeparati vulnerum accidenter lethalium cauſas ſuppeditant; priores verò maximè diſtinguendi quòd ex illis ſolis vulnerum lethalitas indicari poſſit: quod tùm ratiocinio, tùm exemplis probatum credimus; ſupereſt igitur ut concludamus. Concluſio.

Ergò à primariâ vulnerum conditione, ipſorum-met lethalitas apud judices repetenda.

---

(1) Juriſperitorum eſt perpendere an jubeat bonum publicum certum temporis ſpatium determinare ultrà quod percuſſor non teneatur de occiſo, quidquid ſit de mortis causâ; nobis verò, medicis de phyſico vulnerum effectu interrogatis, quid aliud agere convenit quàm juxtà naturam, ſalutiferæque artis principia reſpondere?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Antonius CAILLE, *è Societate Medicâ Edimburgenſi, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, *Eques, Regi à Conſiliis & Secretis, Regiæ Scient. Academiæ Socius, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Bernardus-Nicolaus BERTRAND.

M. Philippus-Alexander BACHER.

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Stephanus-Ludovicus GEOFFROI, *Regi à Conſiliis & Secretis, è Regiâ Societate Medicâ pro Epidemiis inſtitutâ; Societatis Botanicæ Florentinæ, necnon Patrioticæ Stokolmienſis Socius.*

M. Claudius-Andræas GOUBELLY, *Chirurgiæ Latino idiomate Profeſſor.*

M. Benjaminus-Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS, *Anatomes & artis obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor.*

M. Dionyſius PAUTIER DE LABREUILLE. *S. Comitis Gallo-Provinciæ Medicus Primarius.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS DOUBLET, Carnutæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus emeritus, nec-non in ſupremo ſenatu Patronus, Theſeos author.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.